

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

originis doctrina, & in hac controversia sententia, requisivit. Scripto comprehensum est nostrum responsum, & Synodo consuetæ, ad 16. hujus Mensis indictæ, proponetur, & Ratisbonensibus transmittetur. Illustrissimo Principi Palatino, Philippo Ludovico, petenti Illustriss. Princeps noster, pro sua in ecclesia promovenda & amplianda, & conservanda pia concordia studio, Superatendentem Lauringam, atque etiam scholæ ibi constituræ Professorem Theologum misit: homines non tam ætate quam eruditione & docendi dexteritate graves, M. Abrahamum Mannerum, & M. Philippum Haylbronnerum, qui consensum inter Palatinatus & nostri Ducatus ecclesias, atque ita etiam cum vestris, per gratiam DEI, conservabunt & tuebuntur. Vale, Vir Clarissime, & amice charissime, cum filiis tuis ac familiâ omni, & venerandum vestrum ministerium, imprimis Dominum Flinkerum, Florum, Pancratium, una cum reliquis vestris collegis reverenter ex me saluta. Datæ Studgardia, 11. Novemb. Anno 73.

T.

Balth. Bidenbach.



CLIII.

**S**athanæ artes perpetuaq; molimina didicimus dudum, Ecclesiis Scholisque bene constitutis esse infesta, sed sic exercetur probaturque fides electorum, & metetur etiam mundus deformationem ejusmodi, dum ingratus nec agnoscit Domini beneficia, nec ritè usurpat; sed neque sic despondendus est animus de successu meliore, nostrum modo nos officium faciamus religiosè & constanter, & invocemus Dominum, qui malignorum triumphos non patitur esse diuturnos, neque suos prostratos jacere. Ob Philippi ægritudinem doleo, ex febre quartana, quæ hoc anni tempore solet infestior esse, & ægrè cedere; sed quia legitima cura non destituitur, spes est, ad firmiorem valetudinem concoctis vitiosis humoribus, quos in Belgico collegit, facturum esse, daturumque Dominum, ut firmiore deinceps sanitate fruatur, & visitatione hac exercitus salubrius Christo serviat, qui suum illi locum in patria nimirum destinavit, sicut & Erasmo, quem illi nemo præripit. Utrique cupio ex me dicas plurimam salutem. De tua valetudine semper sum sollicitus, quam Domino infirmis meis precibus non desino commendare, & hortor simul, ut ejus habeas exquisitam rationem, quod fiet, si immodicis jugibusque laboribus aliquid detrahas, quo superesse queas Ecclesiæ diutius, quæ si inquam antehac, nunc maxime operam tuam requirit. Quod Butyrum & Caseos attinet, exequutus sum per meos fratres, missurus proximo navigio, quia hodie demum accepi, ut citius non

Ooo 3

potue-

Proverim curare ad vos deveni, per nautas perscribam præcium. Bene vale in Christo Jesu, cum tuis omnibus, & toto presbyterio, & Erythæo. Scripsi Basileæ, 17. Novemb. Anno 73.

R. d. t.

ex animo symmista amicus & frater

S. Sulcerus.



CLIV.

*Salutem in Christo.*

Litteras binas, Reverende & Clarissime Vir, Domine & frater charissime, easque cristissimas à te accepi, quæ non modo mutationem in schola vestra periculolam, sed summam quoque animi Tui perturbationem nunciabant. Etsi verò ad priores jam responderam, tamen cum posteriores supervenissent, alias scribendas esse duxi. Etenim quod à me petebas primis literis, cum D. Pappo jam egeram, qui etiam talem voluntatem offerebat sponte, qualem vel Tu, vel ego optare potuissimus. Et præter expectationem meam accidit, hac ratione te ab administratione Collegii Wilhelmitarum remotum iri. Nam ut perpetuo retineres, nec ego tibi vel autor vel hortator fuissim futurus. Cum nihil dubitarem, plenam odii & invidiæ adversariorum tuorum esse, quasi vel dominium affectari, vel rem tuam agere judicarent. Videtur autem mihi duplici nomine vehementer erratum, quod tamen pace tua optima scripserim. Primum quidem, quod D. Mülhemius functionem suam resignaverit, si tamen resignavit. Nam hoc volebat Satan, ut ejecto optimo & auctoritatis pleno viro dominarentur, qui corruptelis doctrinæ faverent. Ideoque tantum abest, ut existimem, D. Mülhemium officium suum resignare debuissim, ut etiam illis invitis retinendum senserim. Plus enim talis viri umbra præstare potest, quam alterius corpus validum nocere. Deinde etiam abs te & D. Floro graviter peccatum est, quod ad Conventum non accessistis, in quo novi administratores Collegii Wilhelmitarum eligendi erant. Etsi enim Decretum Senatus mutare non potuissetis, tamen præsentia vestra, instituto vestro sancto, minus nocuisset. Et potuisset tu moderata oratione magis ferire adversariorum animos, quam absentia tua, que illis gratissima fuit. In primis verò dolui, postquam audiui, inter vos in conventu Ecclesiastico convenisse, ne quis ex vestro cætu patiarur sese ad hujus Collegii administrationem adhiberi, fortassis hoc consilio, ut Senatus Decretum hac ratione mutetur. Quod tantum abest, ut facturi sint, quin etiam nihil dubitetis, arrepturos hanc occasionem adversarios vestros avidissime, ut hac administratione vos perpetuo

exclu-